



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

195. An religiosi ejecti, si expendant bona in usus illicitos, tenea[n]tur  
accipie[n]tes ea Monasterio restituere? Et advertitur religiosum  
habente[m] licentia[m] à superiore expendendi bona in ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

Religiosum eiectum; ergo etiam iste debet habere ius compellendi Religionem ad eum emanatum recipiendum; nam respondeo quoddam est dispar ratio. Nam cum Religio sit innocens, mirum non est si potiori iure gaudeat, quam Religiosus, qui suis delictis Religionem laesit.

3. Notandum est etiam hic contra Federicum de Senis conf. 38. & alios quos citat, & optimè reprobant Sanchez loco citato, 34. Religiosum eiectum, quando admissio in suam pristinam Religionem post debitam correctionem desperatur, non teneri ad aliam Religionem transire. Adde etiam, quod aliqui, uti supra vltimè est, probabiliter asserunt, Religiosum eiectum non teneri redire ad ipsammet Religionem, de qua eiectus fuit.

4. Item contra Hieronymum Rodriguez in cõpend. Reg. v. sol. 57. n. 6. & Emanuelè Rodriguez in qq. Reg. tom. 1. q. 30. art. 19. puto eiectos à Religionem teneri ad præcepta, & ieiunia in regula Religionis de qua eiecti sunt, sub præcepto contenta, & ita teneri Io. Franciscus Suarez in enchirid. cas. conf. lib. 3. §. de voto obedientia, & Sanchez num. 53.

Et tandem nota non posse dictos eiectos ad Ordines promoveri, vnde cum illis debent dispensare Prælati ante expulsionem per privilegia Ordinis, vel Episcopus, si in illas irregularitates dispensare possunt. Vide Hieronym. Rodriguez ubi supra.

RESOL. CXCIV.

An iuste eiectus à Religione, si aliquid acquirat, Monasterio acquirat? Et ex doctrina huius questionis inferatur, an Religiosus eiectus, si se dignum efficiat, & reformet suos mores, teneatur eum Monasterium recipere? Et an teneatur etiam ipse redire, quoties fuerit à Monasterio vocatus? Ex p. 7. tr. 1. 2. Milc. 3. Ref. 4. alias 2.

S. 1. A ffirmatiuam sententiam docet Lopez de Texeda in Controuer. Theologia Moralis tom. primo, libr. secundo, tract. 1. controuer. 10. dub. 1. n. 12. ubi sic ait. Cæterum religiosum sic per sententiam iustam à Religione eiectum, quicquid acquirat in saeculo, acquirere Religioni esse omninò certum mihi persuadeo propter multa. Primò, quia illius Religio si delicta, & laudabilis Religionis consuetudo repellendi à se inquietos, & Religionis destructores, non debet ei nocere, nec præiudicare, nec debet eam privare iure quod habebat ad bona illius religiosi. Secundò quia Religionem eiecere religiosos inquietos, & scandalosos, eique nociuos, ne sua conuersatione praua cum aliis religiosis, illos perdat, est favor in commodum Religionis, & augmentum eius introductus: ergo non debet in detrimentum eius ob alicuius religiosi facinora retorqueri, nam ut habet regula iuris à nobis non semel repetita, quod in fauorem alicuius institutum est, non debet in detrimentum eius retorqueri: at si Religio vel monasterium ob eiectionem iustam per sententiam comprobantem eius delicta priuaretur iure, quod habebat ad bona religiosi, favor iste, seu ius, quod habet ad expellendum religiosum inquietum, ut cæteros religiosos bonos seruet, retorqueretur in eius detrimentum, ergo, Tertio; quia religiosus eiectus à Religione per sententiam iustam non est totaliter à Religione præcisus, & auulsus, quin si se dignum efficiat, & reformet suos mores ac de perpetratis culpis peniteat, teneatur monasterium eum recipere, & ut diximus teneri ipse redire, quoties fuerit à Monasterio vocatus, & id debet habere in præparatione animi, immò si redire noluerit,

Tom. VII.

potest compelli per censuram excommunicationis, vel per alias pœnas, & supplicia, ut expressè habetur, cap. vlt. de regul. iur. ubi supponitur eiectos si fuerint vocati, teneri redire. Huc vltique Texeda; cuius sententia stando in iure communi mihi placet, licet contraria sit probabilis: tamen hodie sustineri non potest, nam ut obseruat Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo de Iustitiat. 1. dispur. 3. sect. 11. num. 140 Sanctarellus tract. de Apostasia cap. 76. dub. 2. num. 6. noster Pater Leone de Cens. Recol. 6. litera E. num. 331. Lezana in Summa Q. Q. Regul. tom. 1. cap. 23. num. 16. & alij, per motum proprium Gregorij XIII. bona Religiosi eiecti post ipsius mortem pertinent ad Cameram Apostolicam. Notat tamen & optimè citatus Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo supradictum motum Gregorij XIII. non obtinere, si ille Religiosus eiectus recipiatur in alia Religione, quia solum procedit, quando Religiosus extra Religionem obiit, qui autem ad aliam transit, non moritur extra Religionem.

RESOL. CXCIV.

An Religiosi eiecti, si expendant bona in usus illicitos, teneantur accipientes ea Monasterio restituere? Et aduertitur Religiosum habentem licentiam à Superiore expendendi bona in quoscumque usus vellet, non peccare contra iustitiam, si det talia bona meretricibus, &c. nec eas teneri ad restitutionem. Ex p. 7. tr. 1. 2. Milc. 3. Ref. 5. alias 3.

S. 1. A ffirmatiuè respondet Lopez de Texeda in Controuer. Theologia Moralis tom. primo, libr. secundo, tract. 1. controuer. 10. num. 17. Primò, ait ipse, quia religiosus eiectus est verus religiosus non secus ac alij, qui intra claustrum Monasterij commorantur, nullum alicuius rei dominium habens, & si peruersè aliqua bona infumat, ac in turpes usus elargiatur, recipientes tenentur restituere id omne, quod ab eo acceptum: ergo idem prorsus dicendum est de religioso iusto à Religione eiecto. Maior huius syllogismi est certa, & minor etiam est parte nota, consequentia verò sequitur necessariò ex præmissis. Secundò, quia eiectus etiam per sententiam iustam non aliter potest expendere bona acquisita, quam iuxta Prælati Monasterij voluntatem interpretatiuam, & iuxta facultatem ei ab eo traditam, cum non sit illorum bonorum dominus, ut manifestum est: qua ratione fatetur Molina, & Nos supra censuimus esse omninò verum, religiosum eiectum, per vltimam voluntatem sine expressâ Summi Pontificis licentia disponere non posse de bonis acquisitis: cuius ratio est, quia usus & commoditas illorum bonorum solum illi conceditur, interim dum viuunt, ac præsumendum non est Monasterium, nec eius Prælatus ad huiusmodi turpes alienationes ei concedere licentiã, dum usum, & facultatem talium bonorum ei concesserunt. Immo quamuis Prælatus male faciens facultatem concederet tali Religioso eiecto consumendi pecunias in turpes, & inhonestos usus, talis licentia esset prorsus valore destituta, & idèò talis religiosus eiectus in dispositione talium bonorum, ita se haberet, ac si absque vlla licentia de illis bonis disponderet: nam Prælatus non habet potestatem dissipandi bona Monasterij. Tandem confirmantur omnia ista, quia religiosus eiectus, vel manet verus religiosus, & cum voto solemnè paupertatis, vel non: hoc secundum dici non potest, ut notum est, ergo dicendum est primum: Tunc sc. Sed qui accepit à Religioso solemniter professio bona aliqua absque Prælati licentia, quamuis ipse sine tali licentia alienando illa bona peccet mortaliter,

L 2

mortaliter, & sit voti paupertatis transgressor; recipiens tamen tenetur illa restituere, quia fuerunt à non potente donare data, ergo, &c. Et hæc omnia docet Texada fatis quidem probabiliter, quæ etiam tenenturissimus P. Lezana, *tom. 1. c. 2. n. 14.*

2. Sed negatiuum sententiam esse etiam probabiliter existimo, quam præter Molinam, Lessium, Sanchez, & Bonacinam tenet etiam Sanctarellus *tract. de Apostasia cap. 6. dub. 2. num. 1.* Dico igitur non esse parem rationem inter religiosum intra claustra uiuentem, & inter religiosum eiectum, cum religiosi eiecti à Religione habeant commoditatem, & administrationem bonorum independentem à Prælato religionis, possunt de illis disponere, ac si essent sæculares, & veri domini, & quamuis expendant bona in casus illicitos, at accipientes excusantur à restitutione, præsertim cum tales eiecti non sint perfectè vinculo voti paupertatis obstricti, sed solum secundum quid, vt docent Angles in *Floribus par. 2. vbi agit de voto, quest. vnic. artic. 2. difficult. 8. Monald. cons. 69. n. 5. Conrad. 1. part. respons. quest. 285. Philarch. tom. primo. part. 2. lib. 3. c. 2. 1. in fine.* Deinde nonnulli volunt, religiosum habentem licentiam à superiore expendendi bona in quoscumque vsus vellet, non peccare contra iustitiam, si det talia bona meretricibus; &c. nec eas teneri ad restitutionem. Ita Rebelli *de obligat. instit. part. 2. lib. 1. 2. quest. 4. sect. 2. num. 6. Bañes 2. 2. quest. 62. artic. 1. dub. 5. Lopez lib. 2. de contract. cap. 40.* Et licet hoc vltimum de Religioso, Sanctarello, & aliis non placeat, tamen esse probabiliter docuit olim Orellana, ornamentum Dominicane familie, vt testatur Petrus Ledesma in *editionibus sue summe*; & vt talem admisit Eminentissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo à me *alibi adductus.*

Sup hoc infra in tr. 3 Ref. 23 § No ta tertio & late in Ref 58 § 2. alin. 8. & verif. Nã præter. & in Ref. 59 60. & 63 §. vt. ante mediũ à ver. Quin. & in tom. 8. tr. 7 Ref. 58 § id autem & si gnãt in §. feqq. & in tom. 6. tr. 4. lege doctri nam §. vt. Ref. 13.

#### RESOL. CXCVI.

*An sententia data ab Episcopo N. super nullitate professionis cuiusdam eiecti absque interuentu Superioris Religionis fuerit nulla? Et quid supra hoc etiam si non fuerit eiectus, sed perierit nullitatem professionis coram Episcopo declararis? Et ex doctrina huius Resolutionis inferuntur aliqua alia circa hoc, quæ sunt valde notanda.* Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Ref. 2.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue. Moueor ad id tenendum; quia quoties in iure fit mentio de cognoscenda causa nullitatis Professionis, iudicium refertur ad Summum Pontificem, & ab eo dirimitur, vt patet ex *cap. porrectum. cap. cum simus, cap. sicut tenor, cap. sicut nobis, cap. ex parte, de regularib. in quibus locis Papa respondet diuersis Prælati, tum Ordinariis, tum Regularibus, quibus si competeret, non recurrissent ad Pontificem. Tum quia nullus extat de hac re textus asserens Episcopos esse iudices competentes ad declarandam nullitatem Professionis.*

2. Dices adesse textum clarum in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 19.* Respondeo in dicto loco Concilij Episcopum esse iudicem simul cum superiore Regulari; ergo, cum simultas huius iudicij sit de essentia, nulla erit sententia aliter lata. Quod probatur aperte ex *l. duo ex tribus. ff. de re iudic. & ex cap. causam. & cap. prudentiam, §. aduicimus, de offic. delegat. in quibus locis dicitur, quod si causa est simpliciter delegata duobus, non tenet sententia vnius, quod etiam notauit glossa in *cap. si contra unum; eodem tit. in 6. & docet Andreas Vallensis in Paratita decret. lib. 1. tit. 29. §. 4. n. 6. Matthias Stephanus tract. de offic. iud. l. 8. c. 2. n. 11. Gilhaus in Arbore iudiciaria civili, p. 1. c.**

1. n. 23. Bocerus *de iurisdictione, c. 8. n. 96.* & Obrechtus *de iurisdictione, lib. 3. cap. 2. n. 36.* cum alius penes ipsos. Sed in Concilio Tridentino causa nullitatis professionis committitur simpliciter duobus, nempe Episcopo & Prælato Regulari. Ergo sententia vnius sine altero, erit nulla, & inualida. Et ita nouissimè præter alios docet Laurentius Potel. in *respons. moral. tom. 2. cas. 14. quest. 2. n. 2.* & Bordonus *tract. de Professione Regular. cap. 7. quest. 24.*

3. Nec obstat dicere Concilium non loqui in casu nostro, in quo agitur de nullitate Professionis eiecti, in quem Superior Regularis nullam habet iurisdictionem, quia per expulsionem iam definit esse membrum Religionis, ac proinde eius iurisdictione eximitur, sicut seruus à domino eiectus efficitur sui iuris, & definit sub potestate domini esse. Sed his non obstantibus respondeo, sententiam latam à solo Episcopo esse nullam etiam in hoc casu; quia monasterium per sententiam expulsionis non redit omnino iuri suo, sed solum liberatur ab onere alteri eiectum, & retinendi, at noluit propterea se penitus eximere à iurisdictione, quam per Professionem acquisiuit in illum. Nec valet exemplum de seruo, nam qui in Religionem professionem emisit, non potest à vinculis voti liberari, nec per electionem definit esse Religiosus, nec Prælatum Religionis potest facere, vt qui est Monachus, efficitur non Monachus; ac verò seruus potest à domino manumitti, & effici absolute sui iuris. Itaque per electionem non soluitur Religiosus ab obedientia voto, licet pro tunc careat vsu illius, quia caret actuali regimine Superioris. Ergo si ad obediendum reuertitur, tenetur ex vi voti reuerti, & obedire. Ergo circa eiectos manent apud superiores potestas & iurisdictione. Et idè eiectus post expulsionem manet Religiosus eiusdem Religionis, vt tradit Sanchez in *summa tom. 2. lib. 6. cap. 9. numer. 27.* Vnde noui, 3. c. 3. late & absolute cum multis Doctoribus probat Prælatos Religionis posse illum compellere iterum ad Religionem redire. Et idè hinc Vallquez in *1. 1. disput. 165. cap. 8. numer. 87.* sic ait: Si quando contingat Professum expelli à Religione propter criminata ipsius, manet nihilominus in ipsa Religione potestas iurisdictionis, vt eum iterum à se reuocet. Ita ille, cui adde Lezanam in *summa tom. 1. cap. 23. numer. 10.* vbi docet eiectos etiam tempore electionis esse Religiosos illius Ordinis, à quo fuerunt expulsi, & illi subiectos esse.

4. Nec deseram etiam hic apponere verba Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 13. numer. 4.* ita asserentis. Dicendum est eiectos non esse solutos voto libertatis obedientie comparatione Regularium Prælatorum, quamuis magna ex parte cesset eius executio ob defectum materie, quia de facto non habent superiorem à quo dirigantur, nihilominus manent voto obligati virtualiter; ac proinde parati esse debent obedire, si in Ordinem denud recipiendi sint. Hæc Laymannus. Vide etiam Sanctarellum *tractat. de Apostasia, cap. 5. dubit. 1. numer. 8. & sequ.* cum Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 3. cap. 5. numer. 6. & 7.* Et quia agitur de nullitate Professionis cuiusdam Dominicani, probabo supradicta ex constitutionibus dicti Ordinis editis in Capitulo Generali, celebrato Parisiis anno 1176. *const. 1. c. 16.* vbi sic habetur: Ille autem qui propter culpam suam eiectus à Prælato, adhuc est subditus sicut ovis morbida, quæ licet expulsa à grege, adhuc est pastoris, hæc ibi. Quæ omnia superius dicta probantur clarè ex *cap. fin. de Regul. vbi Gregor. IX. præcipit Superioribus Religionum, vt fugitiuos, & eiectos compellant iterum Religionem ingredi, cum id fuerit expediens. Nec valet responsio aliquorum asserentium textum esse intelligendum*